

rantibus minùs perspici possit: in utriusq; tamen eventu tanquam in ramis & fructu, facile dignosci potest. Videas etenim puerum illum quem dixi, & infima & abjectissima vitæ conditione, atq; adeò ex carceris fœtore, sapientiæ suæ ergo, ad regnum seu principatum attolli: cùm delyrus ille rex è regio folio in pistrinum aut carcerem, aliámve ignominiax plenam vitæ conditionem, detruditur & deturbatur.

V E R . II. *Vidi omnes viventes qui ambulant sub sole: adjungentes se puerō illi secundo qui staturus est loco hujus.*

Deinde utcunq; rex sapiat, & subditis moderate præfit: animadvertisit tamen (in omnes orbis pattes animi oculos circumferens) subditos prope omnes, refrigerato erga præsentem Regem studio, ad gratiam hæredis aut succelloris captandam animum studiosè adjicere.

V E R . III. *Non esse finem ulli populo: de ullo qui præfit ipsis etiam posteros non lætatueros esse: nam hoc quoq; vanitas est & afflictio spiritus.*
Et certè plebs ferè omnis ita ingenio comparata est, ut nunquam in principibus qui regnum occupant, & Reipublicæ gubernacula tractant, acquiescere norit. Sicut enim eos qui olim vixerunt, Regum antecessorum fastidium cepit: sic & posteritas hæredem